Spicilegium observationum de Indorum morbis et medicina ... / [Johann Philipp Paxmann].

Contributors

Paxmann, Johann Philipp.
Fürstenau, Johann Hermann, 1688-1756.
Universität Rinteln.

Publication/Creation

Rintelii : Joh. Godofr. Enax, [1735]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/d3fcbnxb

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

Q. B. V.

SPICILEGIVM OBSERVATIONVM DE INDORVM MORBIS ET MEDICINA.

INDVLGENTE MEDICORVM ORDINE
IN ALMA ERNESTINA
PRAESIDE
D. IO. HERMANNO FüRSTENAU
PRIMARIO MEDICINAE, OECONOMIAE
ORDINARIO PROFESSORE,
ORDINIS MEDICI H. T. DECANO,
PRO LICENTIA
IMPETRANDI SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES
PVBLICO SENATVS ACADEMICI EXAMINI
EXPOSITVM
A
IOHANNE PHILIPPO PAXMANNO
HAMELIENSI.

D. XXXI. MART. CIↃ IↃ CC XXXV.
H. L. Q. S.

RINTELII TYPIS IOH. GODOFR. ENAX
ACAD. TYPOGR.

OBSERVATIO I.

Spicilegium poſt meſſem inſtituere, uti in omni diſciplinarum genere, ita in arte cumprimis ſalutari juvat.

SCHOLION.

Amplam poſt meſſem rerum in omni doctrina pulcherrimarum, obviarum, reconditarum, utilium, neceſſariarum, jucundarum, æquo & induſtrio rerum ſcrutatori ſpicilegium usque relictum eſſe, intelligentibus conſtat. Neque vero, id ut planum ſingulis & manifeſtum fiat, vel falcem in alienam mittendo meſſem, vel per varia ſcientiarum argumenta errando, inductionis ope, probationem aggredi neceſſarium erit, cum vel ſola ſervandorum hominum diſciplina, quod agamus, quod dicamus, ſcribamusque, abunde ſuggerat. Ea vero, uti ex ſanioris philoſophiæ, quâ naturam ejusque affectiones mutationesque ſcrutatur, fontibus originem trahens, obſervationibus ſedulo factis incrementum debet, ita earum non neglecta applicatione uſuque continuato adoleſcit magis, ſenſimque ad majus indies perfectionis faſtigium adſpirat. Hiſce vero circum-

ſpecte adornandis erectioris viri ingenii nullo non tempore inſudarunt, & quæ circa corporum naturalium inque primis humani indolem, conditionem, varietatem ſenſuum miniſterio, viſusque præſertim annotarunt, editis eam in rem anatomici, phyſici, medici, pathologici, ſemiotici, therapeutici argumenti haud contemnendis obſervationibus, cum erudito communicarunt orbe. Ingens equidem hic notatur diſcrimen, obvia nonnullis & ex trivio petita, vera, falſa, certa, incerta, viſu an auditu cognita corradentibus, aliis non niſi ſingularia, rariora, admiranda, & felici beata ſucceſſu enarrantibus, adverſos vero & funeſtos præſidiorum effectus aſtute celantibus; ſelecta denique, & veram ſpondentia utilitatem, triſtia pariter & læta, obvia ſimul & rariora, ſed vera utrinque & certa, ita ut eorum quæ ad rem pertinent, nihil temere omittatur, eleganti & concinna ratione tradentibus aliis. Ac licet iis, quæ ab integris collegiis & ſocietatibus litterarum ac ſcientiæ inprimis naturalis incremento dicatis, & ſeculo ſuperiori ac præſenti in Gallia, Britannia, Italia, Ruſſia & Germania paſſim erectis, hodieque vigentibus, eorumque membris & ſociis ſunt profecta obſervata, palma præ reliquis a multis tribuatur; re tamen penitius expenſa fatendum omnino eſt, in actis, ut communiter vocantur, in ephemeridibus, in annalibus, in miſcellaneis iſtis obſervationibus, annuo vel menſtruo ſpatio edi ſolitis vera non raro falſis, incertis certa, utilia minus talibus, rarioribus & ſelectis proletaria & ubivis obvia, malis miſceri

bona.

bona. Mirum ut non ſit, tantam poſt obſervationum meſſem, alios inter, doctiſſimorum Bigæ Medicorum, THEODORO KERKRINGIO, & FRANCISCO HILDESHEIMIO, illi quidem anatomicum huic vero pragmaticum conficiendi ſpicilegium relictam eſſe provinciam. Neque vero etiamnum, neque impoſterum inventis, dictis, enarratis, obſervatis aliquid addendi deerit occaſio. „Multum enim, verba ſunt SENECÆ: egerunt, „ qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt, multum adhuc reſtat operis reſtabitque multum. Natura enim, ſtudio quaſi quærentem fugit, & occultat, quod oſtendat reviſenti. Veniet tempus, „ quo iſta quæ nunc latent in lucem dies extrahat, & „ longioris ævi diligentia.

obſ. anat. d. aff. cap.

Quæſt. Nat. L. VII. CXXV.

OBS. II.

In hiſtoria naturali & medica Indiæ orientalis non deficit ſpicas poſt meſſem colligendi materies.

SCHOLION.

Illos inter, qui de aëre, aquis & locis Indiæ orientalis id quod ſenſibus uſurparunt, litterarum monumentis comprehenſum memoriæ prodiderunt, IOSEPHVS à COSTA, JACOBVS BONTIVS, WILHELMVS TEN RHYNE, ANDREAS CLEYERVS, GEORGIVS EBERHARDVS RVMPHIVS, HERBERTVS DE IÄGER, ENGELBERTVS KÆMPFERVS, ut reliquos, & qui botanica ſigillatim tradiderunt, CHRISTOPHORVM à COSTA, CAROLVM CLVSIVM, GARCIVM ab orto & ſimiles tacea-

Hiſt. Nat. et mor. Ind. Hiſt. Nat. Ind. d. moxa epiſtol. var. add. M.B.V. Hiſtor. Simpl. Ref. Amœnit. exot.

ceamus, nec ſine elogio commemorandi veniunt. Neque vero itinerum illuc a variis factorum relationes hic prorſus ſunt negligendæ. Non pauca enim apud A. OLEARIVM, I. A. de MANDELSLO, I. B. TAVERNIERIVM, I. THEVENOTIVM, I. SPONIVM, DELLONIVM aliosque occurrunt ſcopo noſtro apprime inſervientia. Sed uti hæc talia vaſtis plerumque operibus diſperſa non ſine labore plerumque colliguntur; ita poſt laudatiſſimos priorum in hoc opere conatus, & ſtudia indefeſſa illud diſſimulandum non eſt, inter multa egregia, uno ore adſerta & confirmata non pauca occurrere, quæ lectorem in illa autorum diſſenſione & repugnantia dubium dimittunt, id quod doctiſſimi KÆMPFERI obſervationes exoticas, quibus complures veritates antea abſconditas in aprico poſuit, cum reliquis conferenti ad oculum patebit. „ Enimvero illuſtris Societas „ Indiæ orientalis Belgica, ut M. B. VALENTINI fidem „ facit, non ſine laudabili cautela legatos illos, aut, „ ut vulgo audiunt, commiſſarios ad plantationes „ ſuas aliosque locos transmittendos primum ſacro „ jurisjurandi vinculo adſtringit, ut in relationibus „ ſuis nil niſi veritatem illibatam proferant, quibus „ ea de cauſa major ſemper fides adhibenda eſt. „ Quandoquidem vero & hi tales rerum naturalium „ prorſus ſint ignari, atque de iis, quæ ad res mer- „ catorias mage faciunt, ſolliciti tantum ſint: hinc „ tutius ab eruditis & curioſis in locis indiæ viven- „ tibus ea, quæ ſtudium naturæ artisque medicæ „ concernunt, & ab iis curatius & perfectius explo-

Itiner. Orient.

Ind. literat. proœm.

„ rari

„ rari possunt expetere atque expectare possumus.
„ Quem in finem tot membra S. R. I. Academiæ Na-
„ turæ Curiosorum in Germania, Volckamerus
„ scilicet, Schrœckius, Mentzelius (à Potentissimo
„ Borussiæ Rege hunc in finem lautissimo stipendio
„ donatus) Schefferus, ut & inclytus Ludolphus
„ aliique cum eruditis in orientali india, Cleyero,
„ Jägero, Rumphio, ten Rhyne, similibusque
„ commercium litterarium aluerunt, quorum ob-
„ servationes & epistolæ jam ex parte in Miscella-
„ neis curiosis occurrunt. Majorem vero lucem
„ illæ nobis litteræ atque scripta foenerari possunt,
„ quæ posteriores in India ipsa orientali inter se re-
„ ciprocarunt, quibus se mutuo æmulando, & in
„ multis contradicendo se ad uberiorem & curatio-
„ rem inquisitionem excitarunt, & stimulum non
„ inutilem addiderunt: quo fieri non potuit, quæ
„ alioquin in abscondito mansissent, in apricum
„ deducta fuerint. Sed cum & hi vel præjudiciis
forsan occupati, vel relationibus aliorum nimium
confisi fallere & falli potuerint, integrum nobis erit,
quid veri falsique hisce relationibus insit, quoad per
autopsiam mihi, Respondenti innotuit, per lancem
quasi saturam ostendere, non eum quidem in finem,
ut, quæ in locis remotissimis congrua deprehendun-
tur, sanitatis præsidia ad nostra corpora imprude-
ter applicemus, sed ut ex sollicita omnium, quæ hic
occurrunt circumstantiarum collatione judicium
acuatur, cujus maximam in languentium medela
vim deprehendimus.

OB-

Obs. III.

Aëris conditio in moderanda Indorum valetudine maximam obtinet efficaciam.

SCHOLION.

Aëris quænam ſit in India orientali ratio, ex ſitu ejus verſus ſolem diſcimus. Cum enim æquatori vel proxime ſubjaceat, vel ſaltem non adeo procul ab eodem diſtet quicquid orientalis nomine Indiæ venit, prono inde fluit alveo, id quod autopſia conſtat, perpetuum ibi æquinoctium, regionum tamen diverſitate & majori vel minori ab æquatore diſtantia, quam latitudinem locorum, vel & elevationem poli appellare Geographi ſolent, hic neutiquam neglecta, aſſiduum adeoque ver, vel ſi mavis, autumnum, ſummamque aëris amœnitatem, optatamque temperiem matutinis præſertim & veſpertinis horis, ſed circa meridiem per aliquot horas æſtum vix tolerandum, noctu vero frigus ſat notabile non raro obſervari, veraque & illa HORATII deprehendi:

Matutina parum cautos jam frigora mordent.

Vnde quid de aëris indici ſalubritate habendum ſit, facile patet. „Ex tempeſtatibus, A. C. CELSO judice, „ peſſimæ, quæ maxime variant. Quo fit, ut autu- „ mnus plurimos opprimat. Nam fere meridianis „ temporibus calor: nocturnis atque matutinis, „ ſimulque etiam veſpertinis frigus eſt. Corpus
L. II. C. I. „ ergo & æſtate & ſubinde meridianis caloribus re-
„ laxatum

„ laxatum ſubito frigore excipitur. Sed ut eo tem-
„ pore id maxime fit, quandocunque evenit, no-
„ xium eſt. Videlicet, ut OVIDIVS autor eſt:

Cum modo frigoribus premimur, modo ſolvimur æſtu,
Tempore non certo corpora languor habet.

Appoſite haſce, & ſi quæ ſunt aliæ aëris æquinoctialis qualitates ad Indiarum regionem applicat, eumq; argumentis non contemnendis minime ſiccum, ſed humidum valde in circumjacentibus inſulis non ſolum, ſed & in continentis regionibus deprehendi, JACOBVS oſtendit BONTIVS, qui de aëre, qui circa Bataviam occurrit, ſigillatim ſequentem loquitur in modum: „ Aër in circumvicina regione non admo-
„ dum ſalubris exiſtit, tum, quod calor & humidi-
„ tas putredinis effectrices & genitrices phyſicis di-
„ cantur, tum propter ſtagna & loca paludoſa hic
„ frequentia, dum enim venti e montibus ſpirant,
„ foetidos & craſſos, ne dicam, propter multitu-
„ dinem inſectorum venenatos vapores ſupra ur-
„ bem noſtram adigunt, ac ita aërem inficiunt, ita-
„ que ventus e continenti oriundus ſerio nobis ca-
„ vendus eſt, atque is præcipue qui poſt gallicini-
„ um e montibus ſpirat, ob primarum vigiliarum
„ tepidum calorem ac aperta inde in homine ſuda-
„ ria, ſeu corporis poros, vehementius propter ſub-
„ tilem & penetrantem qualitatem corpus afficiunt,
„ quam vel frigidiſſimus Boreas media hyeme in
„ patria. Quo eodem loco duo anni tempora, æſtatem pluvioſam & hyemem ſiccam, calore ob ſolem

Hiſt. Nat. & Med. Ind. or. L. I. Dial. I.

a linea æquinoctiali non longe recedentem plerumque ſemper æquali exiſtente in Indiis, his quæ ſequuntur verbis conſtituit, fuſiusque deſcribit: „ Æſtas incipit, ubi perpetuæ pluviæ cadere incipi„ unt: nam tum ſol propior æquatori e directo nos „ feriens, ac e mari, paludibus & ſtagnis nubes in„ altum cogit, incipitque hæc tempeſtas a Novem„ bris initio ac usque initium Maji excurrit, cœlo „ tum temporis tam irriguo, ac tam pluvioſo, tum „ cadentibus tam continuis pluviis, ut inſolitis me„ rito ſecundum Deucalionis diluvium metuatur. „ E contra a Maji initio usque ad Octobris exitum „ ſiccus plane & ſerenus eſt aër, vix pluvia toto ſex „ menſium intervallo decidente contrario plane„ modo, quam in patria noſtra, ubi recedente ſole„ pluvioſus fit aër, appropinquante vero ſole ſiccior „ evadit. Et de anni quidem temporibus pluviisque in India cadentibus diverſæ occurrunt, & repugnantes invicem relationes. Idem quod J. BONTIVS modo de Java ſua, J. H. SEYFRID de Cambaja & littoribus Malabaricis affirmat, ſed mox addit eo, quo hyemalis in dictis littoribus occurrit, id vero eſt pluvioſa tempeſtas, in littoribus Coromandel æſtatem ſiccam vigere, utroque, ut ipſe LINDSCHOTTI utrinque fide nixus, addit, loco ſub eadem poli elevatione ſitis, & vix. 30. 40. 50. aut 70. milliaribus in vicem diſtantibus. Suratæ vero tres anni partes J. A. de MANDELSLO, calidam, Februario, Martio, Aprili & Majo, pluvioſam Junio, Julio, Auguſto & Septembri, frigidam denique Octobri, Novembri, Decembri

Medull. Mir. Nat. p. 521. ſq.

itiner. Ind. or. L. I. c. 9.

bri & Januario menſibus notavit; cujus quidem rei veritatem ego, Reſpondens, per integros novem annos in Bengala, eadem fere cum Surata latitudine gaudente commoratus, toties deprehendi, hoc tamen adjuncto diſcrimine, quod æſtus initium Martium, ejusque finem Junium, pluviarum initium Julium, finemque Octobrem, frigoris vero qualiscunque initium Novembrem finemque Februarium menſes, ventosque illic ex oriente & meridie, iſtic ex occidente, hic vero ex ſeptentrione plerumque ſpirantes videre mihi licuerit. Reliquas quod attinet regiones, illud notatu videtur dignum, quod eo, quo in Bengala & vicinis regionibus pluviæ deſinunt, tempore, in Java initium capiant, Novembris nempe initio, & usque ad Februarii finem menſis continuent, reliquis octo menſibus perpetuam æſtatem referentibus; eo vero, quo hic pluviæ deſinunt tempore, Martii nempe initio menſis in oris Cormandel illæ iterum cadere incipiant, & usque ad Junii finem perdurent, reliquis octo menſibus perpetua iterum æſtatis temperie, æſtu & ſiccitate conſpicuis. Quæ ſi recte æſtimentur, ut autopſia mihi conſtant, ea, quæ ſupra ex aliis ſunt citata, non parum illuſtrabunt. An vero LINDSCHOTTI et SEYFRIEDI, tempeſtates in Malabariæ & Coromondel oris eadem latitudine gaudentibus, & non multum ab invicem remotis, ſibi e diametro contrarias adſerentium fides in dubium vocari debeat? affirmare non audeo, qui Coromandel, non autem Malabariæ oras viſitivavi, ſed ſi per analogiam argumentari licet, ſimile quid in Java & Suma-

tra insulis mihi deprehendere visus sum; hæc enim cum æquatori sit proxime subjecta, perpetuis fere pluviis integro anno madet; illa vero sex gradibus ab æquatore remota, sed magis ad orientem vergens non nisi per quatuor menses pluviis, per reliquos octo menses siccitate gaudet. Simile prorsus exemplum infra de America occurrit.

Schol. obs. XX.

Obs. IV.

Victus ratio Indis familiaris & vitæ genus valetudini ipsorum non parum velificatur.

SCHOLION.

Alimentorum ex animali & vegetabili regno profectorum, omnis generis carnium, volatilium, domesticarum, ferinarum, quadrupedum, piscium, olerum, plantarum, radicum, & aromatum inprimis Indiam orientalem esse feracissimam, neque potulentis saporis suavitate & virtutis præstantia, conspicuis destitui, tum aliunde constat, tum a BONTIO iterum docemur, qui plerisque & alimentis & condimentis, & potulentis, in India usitatis fuse enarratis,

l. c. Dial. II. III. IV. V. VI. VII.

l. c. Dial. VI. „ Quid, pergit, jam postremo tibi memorem mala
„ aurea, citrea, granata, & cæteros similes fructus,
„ quorum summa est copia, cum ista in nostra Eu-
„ ropa notissima sunt. - - Vites taceo, quæ si di-
„ ligentem putatorem & cultorem nanciscantur,
„ quater in anno maturos suos fructus proferunt.
„ Itaque, si diurnus calor non adsit, propter per-

petuum

„ petuum virorem ſemper hic ver, ac veri heſperi-
„ dum horti. Sed ut pagani Indiarum indigenæ vaccarum adorant ſimulacra, quin &, ut I. A. de MANDELSLO fidem facit, vitulis nuptias ingentibus non raro ſumptibus parant, rati, animas propinquorum facto e corpore exceſſu in hæc forſan animantia per metempſychoſin quandam Pythagoricam tranſiiſſe, cujus quidem philoſophiæ rudera in Indiis hodieque ſupereſſe, laudatus modo BONTIVS eo confirmat, quod Indi etiamnum abſtineant fabis rubris, & quicquid inter herbas rubrum colorem obtinet. Ita a butyro, vaccina, vitulina quin & omni carne ſunt abſtemii, vita exiſtimantes animantia, quam illis non conceſſerant, neutiquam privanda eſſe, paucis oleribus, ſalis & olei momento additis, lacte, pane ex arbore ſagvvera parato, & præter piſculos paucos, varii generis fructibus, inque primis oryza cum aqua ſimplici, quæ ipſis cibi potusque loco ſufficit, contenti. Olerum vero & fructuum cum varia admodum genera in Indiis proveniant pro varia eorum qualitate, uſu & abuſu vario varios expectandos eſſe effectus, in aprico eſt. Hæc vero ut de paganis & plebejis Indiarum incolis inprimis valent; ita & Aethiopes, qui rerum ibidem potiti ſunt, & advenæ Europæi eo lautius vitæ genus plerumque ſectantur, vino peregre advecto, aromatibus ibidem maxima in copia provenientibus, omnis generis carnibus, pennatis inprimis, ferinis & domeſticis, varii generis piſcibus, fructibus, oleribusque diverſis, quin & pane ex tritico, Japonia & Suratta

l.c. L. IV. c. XII.

l.c. Dial. VII.

ratta advecto, & cerevisia ex illo frumenti genere, quod Belgis mout vocatur, paratis, ut BONTIVS iterum refert, mensas instruunt, imo comessationes & compotationes quotidianas instituunt, theæ ex China allatæ, granorum Coffee partim sponte ibi provenientium, partim ex Natolia & Japonia advectorum, & nicotianæ sacharique, utriusque indigeni, partim ex occidentali India advecti usu abunde delectati. Ex hisce invicem collatis satis, opinor, patet, sanitate Indos minime perfecta & constanti gaudere, & ævi plerumque brevioris esse, quod utrumque communis rerum usus & attenta confirmat observatio. Præterquam enim, quod aëris varia conditio singulis propediem diebus ibidem obvia maximum sanitati detrimentum inferat, æstusque circa meridiem maximus vel ideo valetudini sit noxius, quod pori corporis nimium aperti, accedente vespertino & nocturno frigore & rore noxio corpori minus probe tecto matutino tempore illabente importune claudantur, simili propemodum modo ac de aëre hungarico de die exquisite calido imo fervido, noctu vero ultra modum frigido, utriusqve vero noxis elegantes admodum observationes penes TOBIAM COBERVM legere licet; cum ex adverso Septentrionales populi, aëre horrido & gelido utentes, inque iis Lappones tametsi aspere duriterque vivant, tamen commodissima utantur valetudine, ut Medicos nec habeant, nec iis se indigere existiment, ut a IO. SCHEFFERO fusius relatum extat: alimenta Indis usitata sanitati non æque conducunt. Licet enim victus simpli-

l. c. Dial. III.

Obs. Castr. Hung.

Lappon. C. XXV.

plicissimus omnium consensu sit optimus, oryzam tamen, calidam inprimis adsumtam non solum noxiam esse ventriculo, verum cerebro ac universo nervorum generi, ut a vaporibus crassis & siccis ex hoc cibo in cerebrum elevatis nervi optici sæpe in tantum obstruantur, ut cœcitas inde oriatur, alios inter, rerum usu id confirmante, præclare iterum BONTIVS ostendit. Famigeratum vero potus genus, Arac, quod e liquore nuce Indica contento, ac ex ipsa arbore destillato cum oryza conficitur, vel ob mangonii suspicionem caute usurpandum esse, patet, cum Chinenses avarissimi simul & astutissimi bipedum illud in India mixtis holothuriis in mari fluctuantibus parant, quæ excrementa maris Belgæ quallen vocant, eaque tam exurentis sunt caloris, ut solo attactu vesicas in cute excitent, ut idem Cl. Autor fidem facit. Cerevisiæ vero ex oryza a Iaponibus confectæ, & Sakki vocatæ, adque vini Hispanici vigorem & indolem coctæ proprietates & noxas uti in proprio expertus est corpore, ita graphice ENGELBERTVS descripsit KÆMPFERVS. Ac sicut de potu, Sagouer dicto, qui destillat ex arbore non absimili palmæ Indicæ, JACOBVS affirmat BONTIVS, illum, ut & reliquos potus naturalis species ex nucis Indicæ cavitate, & floribus elicitis frigida qualitate excellere, ac proinde nervis esse infestos, si quis nimia quantitate iis abutatur, præsertim corpore per exercitium aut solis ardorem excalefacto, indeque malum corporis habitum, fœdum ac luteum corporis colorem, ipsamque paralysin derivat, quæ quidem omnia

l. c. Dial. III. & l. II. c. XVI.

l. c. Dial. III.

l. c. Fasc. III. Obs. XI.

l. c. Dial. IV.

omnia rerum usu edoctus verissima comperi, ita de pane quem ex arbore Sagowera confici, supra commemoravi, pariter mihi innotuit, illum particulis nutritiis paucioribus instructum esse. Olerum & fructuum in Indiis provenientium ingens equidem est discrimen, pleraque tamen frigidiori sunt qualitate prædita, quibus affatim æstuante corpore ingestis, & notabili aquæ frigidæ, aut alius prædicti potus quantitate affusa, non mirum, si diarrhœæ, dysenteriæ, dolores colici, febres similiaque oriantur mala. Præ ceteris Ananas fructus, ut saporis suavitate & eminentia reliquos fere omnes, ita & nocendi energia superare deprehendi, utpote a cujus abusu commemorata modo & plura alia proficisci vitia, expertus novi. Inter fructus vero salubres & unde solatium aliquod male habentes sibi queunt promittere cum areca cardamomis & calce viva folia betele mista, mundandis dentibus masticatorii loco inservientia, fructus manges. pisanque, & cydonia Bengalensia, bambus seu mambu Sakar, BONTIO laudata, & analepticorum classi merito inserenda, tum fructus inprimis poley, & serre everrendis urinariis viis idonea, & inter reliquas dapes apponi solita, nemini, quod sciam, commemorata neutiquam reticenda duxi; tabaci vero fumum, in locis istis orientalibus plus satis familiarem, cujus usus laudem, crimen abusus habet, vel idcirco tangendum putavi, quod non per fistulas passim usitatas, sed per peculiares machinas, aliosinter à KÆMPFERO descriptas & iconibus expressas ita hauriatur, ut oleum quod in nicotiana latet

l.c. p.641.

latet fœtidum, & narcotica vi præditum ab aqua interjacente absorbeatur. Reliquum vitæ genus Indis familiare quod attinet, nudi fere omnes incedunt, & pauco eoq; misero per dicta victu utentes, & pluviis vix non immersi labores sub dio plerumq; peragunt, idque non nisi necessitate coacti, cum de mediis vitæ sustentandæ vel in proximum diem sufficientibus securi otium labori præferant, ignaviaque torpescant. Præterea admodum juvenes, & vix quartum, quintum, sextum, septimum, octavum, decimum & duodecimum ætatis annum ingressi, utriusque sexus homunculi matrimonia contrahunt, & quamprimum per ætatem licet, veneri litant, liberisque dant operam, quod ne solus dixisse, aut fabulas narrasse videar, en testem iterum luculentum J. A. de MANDELSLO, hæc talia disertis confirmantem verbis. Hæc vero omnia quantum perspirationem impediendo, vires frangendo, & maturam accersendo senectutem valetudini sint fraudi, non attinet pluribus evincere. CORNELIVS certe TACITVS de priscis suis germanis longe commemorat alia, in quibus seram juvenum venerem & septam pudicitiam, eoque inexhaustam pubertatem, & quod virgines non festinentur, eandem juventam, similemque proceritatem ex merito laudat, unde & quod pares validis misceantur, robora parentum liberi referant. Indorum vero plurimos vix trigesimum agentes ætatis annum, quem ex arborum forte obviarum, hoc vel illo tempore satarum collatione computare solent, senilem referre canitiem, & vix quadragesi-

l.c. L. I. C. XXXI. p. 59.

de Mor. Germ. c. 19. 20. 24.

mum annum vivendo ſuperare, non uno documento certior factus ſum.

Obs. V.

Peſtilentia vera in Indiis fere nunquam eſt viſa; febres vero acutæ continuæ, exanthematicæ, peſtilentiales eo ſunt frequentiores, intermittentes oppido raræ.

SCHOLION.

Ex peſtis abſentia ſummam aëris Indici puritatem & ſalubritatem colligunt nonnulli: aſt poſtea quam curatiori facta cauſarum peſtem producentium indagine innotuit, peſtem non niſi contagio propagari, penes omnes in confeſſo eſt, in aëre quoque puriſſimo peſtis contagium longe lateque graſſari, & ſtragem maximam edere poſſe. Febres vero intermittentes in Indiis rariſſimas eſſe, I. BONTIVS iterum confirmat, præter unam & alteram quartanam, eamque cum ægro è patria delatam, quæ miſerrime in hydropem, & inde certiſſimam mortem deſierit, quæ certam ſervaret periodum, cum intermiſſione ſeu ἀπυρεξίᾳ febrem vix ſe meminiſſe, affirmans. Cujus quidem rei cauſa vel in victu Indorum parco, vel in perſpiratione aucta, vel in utroque quærenda videtur momento. Harum vero defectum febrium, continuæ acutæ malignæ, largo fœnore reſarciunt, quæ eodem teſte Cl. BONTIO plerumque

l. c. L. II. c. XIV.

l. c.

rumque cum tanto furore invadunt, ut tanquam attonitos de ratione mentis ſtatim dejiciant, & ſæpe intra pauciſſimos dies imo aliquando horas cum phrenitide & continuo delirio ægros è vita rapiant. Adſunt perpetuæ vigiliæ, vomitus varii coloris præcipue viridis & æruginoſæ bilis. Externa rigent. Calor interne cum ingenti ſiti vitales & naturales facultates depaſcitur. Præter enim horridam illam & peſtinentialem febrem, quæ 1733. in Batavia decem menſium ſpatio 35. hominum millia rapuit ab aqua marina per canales in civitatem derivata, & æſtus occaſione maris, modo accedente, modo recedente hoc vero tempore paludum more hic inſignem à cadaveribus aliisque injectis fœtorem ſpirante ortam, duas inprimis febrium ejusmodi peſtilentialium ſpecies, quoad in Indiis degi, notare mihi licuit: alteram ad ſinum Bengalæ quotannis frequentem, & Auguſto inprimis menſe pluviarum occaſione affatim cadentium, Gange fluvio exundante, & juxta cum gentilium cadaveribus eidem injectis, & magno numero innatantibus, & putridum exhalantibus fœtorem multis aliis effluviis heterogeneis ſalinis, tartareis, nitroſis vulgo dictis, & ſanitati adeo infeſtis, ut ferro candente vel & farina fabarum aquam corrigere & potui idoneam reddere ſtudeant, referto revertentem, & pluribus funeſtam, quam mecum BONTIVS cum ſingulis notavit circumſtantiis; alteram, die Aue ſigillatim appellatam, & puſtulis nigris in naſo inprimis conſpicuam. Huic vero poſteriori, ut folia arboris cujuslibet obviæ in turundæ formam *l.c.p.30.40.*

coactæ, & cum fœno græco, saleque communi mista opponere, &, ut narium hæmorrhagiam, quam criticam & salutarem in hoc morbo noverunt experti, concitent, naribus ingerere solent hujus regionis incolæ; scarificationem forsan narium Aegyptiacam,
P. P. Ill. STAHLIO laudatam imitati, ita in reliquis febrium acutarum speciebus præter universalia, V. Siosem & cathartica in principio, si opus adhibenda, diaphoreticis & sudoriferis cum debito regimine adhibitis, negotium omne absolvendum erit. Quem in finem præter varias radices & herbas alexipharmacas indigenas, lapide bezoardico, & lapide cordiali Indico, Goæ ex variis simplicibus ejusdem commatis confecto Indi, nostrates vero alexipharmicis quoque usitatis, volatilibus & temperatis, ex coralliis, cancrorum lapidibus, apri dente, unicornu fossili, succino, cinnabari, antimonio diaphoretico, scordio, angelica, vincetoxico, sambuco, scorzonera, contrayerva, serpentaria virginiana ex Europa vel & America advectis & varia forma adhibitis nec sine effectu exoptato utuntur: illud vero silentio non videtur prætereundum, quod Indi harum rerum periti ægrotos febribus continuis laborantes ventilatione sollicite instituta sudore per aliquot horas data opera prohibeant, deinde vero sudori cum εὐφορίᾳ tuto permittant. Quæ quidem medendi ratio, ut empiricæ simillima appareat, duplici niti fundamento videtur, impeditura nimirum, ne vel cœlo in Indis fervente languentes sudoribus nimium diffluant, vel sudoribus præmature concitatis, vires nimium

pro-

prosternantur, vel etiam, ut homines nudo corpore radios solares impune & absque sudoris colliquativi metu ferre soliti, ad sudorem ejusmodi ventilationis flabello factæ subsidio præparentur ac disponantur, quam in sententiam eruditæ I. H. SCHVLZII meditationes conferri merentur. Variolis vero & morbillis laborantes, quorum exanthematum hisce in locis uberrimus est proventus, aqua frigida strenue perfundi, idque ni fiat, vix, qui iisdem laborant evadere, tum ipse sæpius vidi, tum KÆMPFERVS in Javæ incolis notavit, idque in æstuoso isto climate non adeo absurdum putat.

Obs. de Sudore.

l.c. p. 534.

OBS. VI.

Nervosi vitia generis, & affectus spasmodici in India orientali frequenter occurrunt.

SCHOLION.

Hujus quidem causam phænomeni ex aëris vitio vitæque genere Indis usitato juxta prædicta eruere, haud equidem foret difficile; neque vero pestem istam, ut multis solenne est, appellandam peculiaribus antidotis tollendam, sed genuinis quodlibet vitium nominibus indigitandum censui. Hæc inter communissimum omnium & frequentissime obvium, Beriberi dictum, pro paralyseos specie a BONTIO aliisque vulgo habetur, ego vero, hoc ipso nomine illud delirii genus, quando quis absque causa manifesta sibimet ipsi displicet, solitudinem amat, mœrori

l.c. L. II. c. I.

mœrori indulget, id vero eſt, melancholiam hypochondriacam denotari, experiundo didici, ſimul & diuturno ſtudio vera eſſe deprehendi, quæ idem ille Cl. BONTIVS de Spaſmo, & tetano cumprimis commemorat; tam repentinum enim & ſubitum eſſe aliquando ejus impetum, novi, ut dicto citius homines rigidi, non ſecus ac ſtatuæ, permaneant: dum vel in anteriorem vel poſteriorem corporis partem muſculi involuntario motu verſus principium ſuum trahuntur. Hoc malo affecti truculenter admodum aſtantes intuentur præſertim, quod ſæpe fit, interveniente ſpaſmo cynico, ſeu convulſione canina, cum utravis maxilla aures verſus trahitur. Ruber & viridis color ex oculis & facie oritur, dentibus ſtrident, & murmur innonditum, vice vocis humanæ edunt tanquam ii, qui è cella ſubterranea loquuntur: ita ut imperitis vere dæmoniaci appareant. Præterea & varii generis doloribus & ſpaſmis in infimo præſertim ventre ſub colici, hypochondriaci, quin & hyſterici mali nominibus ſcenam ludentibus, una cum Sinenſibus & Japonenſibus miſere non raro Indos excruciari videas, quæ quidem vitia variis ſtipata ſymptomatibus à flatibus ſeu vaporibus derivanda exiſtimant. Quam in rem egregia ſunt, quæ Cl. KÆMPFERVS memoriæ prodidit, digna omnino, quæ hic quoque legantur verba: „Aſia quo-
„ usque ad noſtros antipodes extimumve orbis ter-
„ minum extenditur tribus donata eſt Heliconibus,
„ Arabum, Brahmenum & Sinenſium: ex quibus
„ ſcientiarum artiumque promanavit, quicquid eſt
„ inter

l. c. L. II. c. II.

„ inter vasti orientis populos. Hi vero cœlo, lin-
„ guis, moribus, religione distincti populi, licet pro
„ diverso, ex quo oriuntur, Helicone, alia atque di-
„ versa foveant artis medicæ (ceteras non attingo)
„ principia, præcepta, materiam & medendi metho-
„ dos, nihilominus tamen, cum in morborum cau-
„ sas inquiritur, uno ore singuli ad tribunal subin-
„ de, flatus & vapores provocant, ut tantum non vi-
„ deantur cum Coo nostro L. de Flat. dolores & af-
„ fectus quoscunque flatibus acceptos referre. Imo
vero ex recentioribus DOMERGERIO, & LANGIO cui-
dam idem placuisse dogma, D. Præses pridem
ostendit. Colicæ sigillatim gentibus hisce infe-
stæ nomine non quemlibet, sed illum ventris dolo-
rem venire, qui dum intestina lancinat, in inguine si-
mul motus excitat convulsivos, a KÆMPFERO iterum
docemur: „ Nimirum is est hujus colicæ vel gradus
„ vel genius, ut abdominis quoque musculos &
„ membranos vellicet. Si doloris causam, vel ma-
„ teriam quærimus, ea ex sententia horum antipo-
„ dum, cum in præsenti morbo, tum in omni crucia-
„ tu ventris neutiquam intra intestini cavum hospi-
„ tatur, nisi forte in affectu leviori, sed in ipsa hæret
„ partis alicujus substantia membranosa, puta mu-
„ sculorum abdominis, peritonæi, omenti, mesen-
„ terii, intestinorum: in quibus illa per moram fa-
„ cessens in vaporem, vel, ut loquuntur, in spiritum
„ sæpe acerrimum rodit & lancinat. Hujus igitur
„ spiritus rodentis effracto carcere, ipsoque angu-
„ stiis, quos distendebat, exsoluto, cessabit momen-

l. c. Fasc. III. Obs. XII.

Desiderat. Med. p. 141. s.

l. c. Fasc. III. Obs. XI.

„ to

„ to citius acerbissimus extensionis sensus, quem ut
„ perperam Latini ab intestino sæpius innocenti co-
„ licam, sic Gymnosophistæ eum ad Japonum Si-
„ nensiumque mentem saniori judicio amant sua
„ lingua vocare spasmum abdominis & intestino-
„ rum. Habet hoc singulare patrius morbus Ja-
„ poniæ, ut ad hystericæ passionis exemplum per-
„ sæpe suffocationem hospiti suo machinetur, con-
„ vellendo totam regionem ab inguine ad usque co-
„ stas spurias, vel mucronem; deficiat vero, ubi
„ diu sæviit, in tumores hic illic in corpore promi-
„ scue nascentes, nonnunquam epilogum ludat te-
„ terrimum.

Obs. VII.

Alvi fluxus simplices & cholerici, hepatici & dysenterici in Indiis sunt frequentissimi.

SCHOLION.

Plures inter alios idem mecum notavit BONTIVS, qui dysenteriam inprimis horribile vocat, & consuetissimum his regionibus malum, quod plures homines necat, quam affectus quispiam alius præter naturam. Hoc vitium contrahi existimat, partim ex aëre calido & humido, sed & fructus supra laudatos maximum huic malo fomentum præbere addit, quibus si quis cum summa cautione non vescatur, & cum oryza vel pane & pauco salis, vix unquam hoc malum effugiet, non secus, quam in Gallia & Hispania,

l. c. L. II. c. III.

nia, qui uvas avidius ſine pane vorant, ſtatim diarrhœam vel dyſenteriam incurrunt, præcipuam vero mali cauſam allegat potum arac, mangonio dicta ſupra ratione corruptum. Aëris tamen potiores hic eſſe partes, non tam calidi vel frigidi, humidi vel ſicci, ſed ex calido in frigidum, ex ſicco in humidum ſubito commutati, ex ſimilium indole mutationum aliis quoque in locis notanda, aliarumque analogia regionum concludere licebit; nam & de Pannonia ſua idem affirmat, & hoc præ reliquis malum incolis ejusdem infeſtum TOB. TOBERVS graphice deſcribit, & cur in illa aliisque regionibus menſe cumprimis Auguſto epidemica & maligna oriatur dyſenteria, non niſi ſubitæ aëris hactenus fervidi in frigidum mutationi in acceptis ferendum eſſe, tum uſus rerum docet, tum in ANNAL. PHYSICO-MED. VRATISLAVIENSIBVS egregie evictum & demonſtratum eſt. Radicem Bimili patna dictam & laxandi, hinc roborandi virtute præditam huic inprimis malo opponere norunt Indi harum rerum gnari. Primæ nimirum digeſtionis vitio hæc & ſimilia eveniunt mala, affectus mordehi, quo ventriculus depravatus, & mordexin, quo nauſea & vomitus perpetuus denotantur, ſæpius in India oriuntur. Ciborum vero in ventriculo reſolutionem in aëre ultra modum fervido minus ex voto perfici, indeque temperantia in locis & temporibus æſtuantibus inprimis opus eſſe, I. A. DE MANDELSLO opportune notavit, V. Cl. vero G. A. HAMBERGERVS peculiari labore egregie demonſtravit.

l. c.

1719. *Aug.* *p.* 183. 188.

l. c. p 37.

d. Ventric. per aſt. imb.

Obs. VIII.

Phtisis, Hydrops, Icterus, dira illa mala, Indorum plurimis infesta, multis funesta sunt.

SCHOLION.

Hujus rei fidem tot inter alia funera hominum, ut supra dictum, præmatura morte defunctorum faciunt: viam quippe ad lethum his similibusque vitiis sternentibus. Ista vero in pulmone, hepate, mesenterio, omento, & reliquis visceribus derivationi & secretioni humorum dicatis radices cum agnoscant, horum quidem viscerum inflammationes, exulcerationes, obstructiones, ut vulgo vocantur, aut alio modo factæ corruptiones ex aëre & victu Indis familiari, vivendique ratione perversa supra pluribus enarratis derivanda erunt. Et Icterum quidem seu regium morbum inter quotidianos in India morbos numerat BONTIVS, qui vel alios morbos, inflammationem, scirrhum, apostema hepatis comitatur, vel sequitur, & quia tum ut plurimum symptomaticus, & ex violentia morbi ortus, fere semper lethalis, sæpe etiam ita momentaneus est, ut intra paucissimos dies oriatur & occidat. Diuturnus autem sæpe delirium & phrenitidem, & neglectus certissimum hydropem, quem familiarissimum in Indiis morbum, sed facilius ibi quam aliis in locis sanabilem vocat, infert; phtisin vero, empyema, hæmoptysin, & similia pectoris

l. c. L. II. c. X.

l. c. L. II. c. XI.

ctoris vitia ex aëris constitutione calida & humida in corporibus inprimis nudis improvide eidem, aut rori cadenti expositis derivanda existimat. Inter reliquas vero mali corporis habitus species Indis admodum familiares duas cumprimis a Cl. KÆMPFERO notatas deprehendimus, Andrum & Perical malabaricæ regioni endemias & communes, quarum illa oscheohydrocelen, hæc vero pædarthrocacem quandam, seu spinam ventosam, vel & hypersarcosin pedum ulcerosam denotat; cujusquidem utriusque mali causam liquoris fundi malabarici potatoribus eodem jure refert acceptam, quo plica polonica accusat fontes Vcraniæ, Strumas propinat Styria & Transylvania, Dracunculos ex stagnante imbre hauriunt Arabes desertorum, accolæ sinus Persici, & Guineensis Afri.

l. c. L. II. c. XII.

l. c. Fasc. III. Obs. VII. VIII.

Obs. IX.

Dracunculi non postremum pathologiæ animatæ caput apud Arabes, Persas ipsosque Indos constituunt.

SCHOLION.

Singulare lumbricorum genus Dracunculi sunt cum Crinonibus, germ. mitesser, pueris infestis, & M. ETTMÜLLERO laudatis neutiquam confundendi, qui non in intestinis, aut alia quadam corporis cavitate, sed in musculis per corporis ambitum natales inveniunt. Horum jam PLVTARCHVS, & ex eo

Oper. fin. A. E. L. 1682.

VIII. Sympos. 9.

Var. Lect. II. C. XX. Hist. Æth. de Vena Medin. l. c. Fasc. III. obs. IV.

H. MERCVRIALIS meminit. JOBVS vero LVDOLPHVS & GEORGIVS HIERONYMVS VELSCHIVS uberiorem eorum descriptionem dederunt. Omnem vero morbi historiam, una cum causis & medendi methodo ita tradidit E. KÆMPFERVS, ut vix quod addi possit, inveniatur. Nam & aquarum impurarum & vermiculis scatentium usu minus provido externo pariter & interno malum plerumque contrahitur, nec nisi emplastris emollientibus loco affecto applicatis ut lumbricus infixus suppuratione sensim proliciatur, curari consuevit. Ac ne quis obvertat, nihil huic lumbrico cum Indis intercedere commercii, alius quippe terræ incolis infestum, idem ipse Cl. Autor de patria ejus sequentem disserit in modum:

l. c. p. 527.

„ Non est bestiola hæc soli Persidi vernacula, sed & „ Guineæ in Africa, & Rhase ac Avicenna testibus, „ Chorasmiæ & Aegypto quoque. Medinensem A- „ rabiæ tractum earum feracem testatur sæpe lauda- „ tus Arabs, & morbum sub hujus patriæ titulo ex „ instituto pertractat gemino capite 21. & 22. Lib. „ Can. 4. Fen. 3. Tr. 2. Dracunculorum genitrices „ quoque offendi pagos mediterraneos quosdam „ terræ Gangeticæ ultra Paliacattam.

OBS. X.

Arthritidis & Nephritidis exempla paucissima in Indiis reperiuntur.

SCHOLION.

Hujus veritatem observati non rectius, quam scriptorum

ptorum ſilentio, autopſia & experientia propria, & quæ contra utramque moveri poterant, dubiorum reſolutione in tuto collocavero. Nimirum, qui contrariam tuentur ſententiam, quid olei cajeputi ex Indiis ad nos delati, & in ANNALIBVS VRATISLAVIENSIBVS, virtute nervina, antopoplectica & antiarthritica paſſim celebrati, quid moxæ, famoſi adeo podagrici a BVSHOFIO, TEN RHYNE, VALENTINI, KÆMPFERO, aliisque pluribus expoſiti virtus, quid folia Acmellæ a VALENTINI, quid Kithie folia ex Indiis allata, & in ANNALIBVS iterum VRATISLAVIENSIBVS, ceu calculo pellendo idonea præſidia, quid plura alia exotica & quamobrem ad hosce morbos adeo commendantur, & tantis ornantur elogiis, ſi morborum, quibus opponantur, nulla reperiuntur in iſtis regionibus veſtigia? quærere ſolent. Aſt dubiis hisce diluendis unus iterum ſufficit Cl. KÆMPFERVS, qui de Moxa erudito inſtituto ſermone hisce alia inter verbis uſus eſt: „Adverſus Arthritidem & ejus progeniem podagram ſchiaticamque quid valeat moxa, id non ita pridem coloni Batavi in Indiis exploraverunt. Frangit hic ignis impacta perioſtio rhenani tartari ſpicula„; quæ quidem ſingula & quæ ſequuntur, ad Indos abſtemios neutiquam applicari poſſunt. Quod vero ad nephritidem ſeu calculi attinet hiſtoriam, in iſto hominum genere, qui cereviſiam vernaculam ex oryza coctam, Sinenſibus Sampſu, Japponibus Sakki vocatam in delitiis habent, invenire qui vaga arthritide & ſtranguria laborant, inſolens non eſſe, idem ille doctiſſimus vir autor eſt. Imo vero

1723. *Nov.* p. 568.

l. c.

Muſ. Muſ. Prax. Chir. p. 338.

1720. *Nov.* p. 686.

l. c. Faſc. III. obſ. XII p. 594.

l. c. p. 626.

ro arthritis vagaplethoræ plerumque ſoboles a fixa multum omnino diſtat, neque qui ſtranguria tentantur, calculo mox ſunt affecti. Ac ſicut apud theæ bibulos Japonenſes & Sinenſes iſto quidem cœlo KÆMPFERVS & THEVENOTVS, ut eſt in ACTIS PHILOSOPHICIS, ita & ego penes hydropotas Indos calculoſos & podagricos nunquam inveni. Quod ſi vero in Indiis hisce malis affecti reperiuntur, ſunt iſti Europæi, & Bacho, aut veneri ultra modum litantes, aut alia propria vel aliena culpa malis hisce, graviter interdum, mulctati.

1666. p. 190

OBS. XI.

Lues venerea malum eſt in Indiis frequentiſſimum, lepra vero, quæ vulgo audit, cum lue venerea paria facit.

SCHOLION.

Luem veneream Indiæ & Javæ ſigillatim inquilinam eſſe, adeo ut febre quotidiana ſit vulgatior A. CLEYERVS affirmare nullus dubitat, idemque de Goa I. A. de MANDELSLO confirmat, cujus quidem adſerti veritatem ego quidem plus ſatis deprehendi. Iſta vero lues Indica nonnullis vocata, ut veneris vagæ & fœdæ flagellum ab intelligentibus merito appellatur, cujus quidem ſchema a doctiſſimo I. N. PECHLINO vivis coloribus depictum exſtat; ita malum id eſſe antiquiſſimum & longe ante detectam frequentatamque Indiam, vel occidentalem vel orientalem, in ea mo-

ep. ad C. Mentzel. l. c. p. 116.

L. I. Obſ. LXXII.

morum corruptela, & lasciviæ indies auctæ fomite ubivis fere terrarum radices egisse, ac latius sparsum esse, neque adeo causam adesse, patet, cur primam ejus originem ab esu serpentum Inguanarum, Americanis familiari, vel aliunde cum M. LISTERO derivemus. Ac licet negandum non sit, per contagium fœdum hoc malum innocentibus quoque communicari, & longe lateque propagari posse, longe tamen hæc rarissima, omnium vero frequentissima eorum esse exempla, qui propria culpa & immodico atque impuro concubitu sibi id accersiverunt, sanioribus pridem innotuit. Equidem an HIPPOCRATI, GALENO, & reliquis, qui sunt superstites Autoribus priscis Græcis & Latinis venerea lues hoc saltem nomine, cum de re ipsa nullum sit dubium, innotuerit, non attinet pluribus disquirere. Neque vero ex sacris aut profanis scriptoribus ad luis antiquitatem venereæ probandam testimonia cumulare, præsentis fert ratio instituti. Notatu tamen digna videntur hæc ANONYMI cujusdam Galli verba: „ Il'y a tout lieu de „ croire, que cel mal est aussi ancien, que le monde, „ & si on lit avec reflexion les debauches, & ensuite „ le doleurs, que Tacite, & Suetone Tranquille at- „ tribue à Tibere; on peut assurer, qu'il n'avoit pas „ mal de Naples, mais celui de Caprees, lieu de ses „ divertissements & de ses plaisirs ordinaires. Quibus cum GVIDO PATIN, & NICOLAVS de BLEGNY prorsus consentiunt, quorum hic verisimile etiamnum existimat, lepram confirmatam, cujus tanquam affectus rarioris meminerunt, curationem nequaquam ad-

Ex. med. de lue vener.

des malad. vener. p. 301

Lettr. p. 385

Zod. Gall. Ann. V. p. 102. f.

admittentis eandem esse cum ea quam nos proprie lepram vocamus: cæteras lepræ simplicis species, quas tanquam admodum vulgares tradiderunt, nihil aliud fuisse, quam varias impressiones à salibus venereis cuti inductis, quandoquidem asseclam habebant aut sequacem maximam partem accidentium luis; eademque de causa Indos præ libidine, cui brutorum in morem indulgent, effrænata, lui magis obnoxios esse: vehementiam porro æstus plerasque illas regiones torrentis, ejus accidentia magis terrifica, & conspicua proferre, fervore vehementiori sanguini inducto. Hæc si rite examinentur, & sicut a D. Præside nuper est indigitatum, diversi inprimis luis gradus, probe attendantur, nullum facile dubium remanebit, quin luem veneream & lepram unum eundemque esse affectum, asseramus, & elephantiam pariter Iavæ novam, a I. C. MENTZELIO C. F. descriptam, & tophos & gummata & ulcerationes in Insula Amboyna & moluccis præcipue, amboynse Pocken dictas BONTIO notatas, ad luem veneream jure meritoque referri, cum in utriusque historia morbi, & quæ de lepra vulgo dicta, passim occurrunt observationibus autores earum disertis confiteri soleant verbis, quod multum utrumque inter morbum commercii intercedat. Opportune hic recordor Respondens viri honoratioris Batavi, in supremo Indiæ senatu assessoris, cui ob lepræ, cujus accusabatur, suspicionem, pulvinari, ut fieri solet, domum transmisso locus in curia denegatus est, eo vero oculari inspectioni ad desiderium proprium sub-

p. 259.

de Xenod. XI. XII.

Præs. B. Albin. diss. ep. ad A. Cleyer 1683.

l. c. L. XI.

ſubjecto, non lepræ, ſed luis ſuſpicionem venereæ juſtam eſſe, innotuit. Præterea & leproſorii recordor Indici, in inſula Purmerent prope Bataviam fundati, non, ut in Europæ variis regionibus fieri amat, leproſis omnibus deſtituti, ſed ægrotis & languentibus quam maxime referti; ſed & curatiori inſtituto examine innotuit mihi, plerosque lubentes incurabilium claſſi adſeri, ut nimirum victu & amictu & reliquis neceſſariis vitæ adminiculis otioſi abunde fruantur: nec qui curam eorum gerunt, chirurgi aliam quam palliativam inſtituunt, neglecto fonte rivulos, id eſt, ulcera, tubercula & ſimilia vitia emplaſtris, unguentis aliisque topicis ſuperficietenus ſaltim tractantes. Ipſam vero quod attinet luem, Indi quidem eam applicato cinnabaris vulgaris factitiæ ſuffitu & pulvere radicis chinæ in ſubſtantia, ut dicitur, adſumpto, ſimilique diæta ſicca eventu ſatis felici expugnare ſolent, penes Aethiopes autem & Europæos, decoctorum ligneorum & mercurialis ope ſalivationis, curam ejus aggredi, ut paſſim alibi, moris eſt, neque niſi errore aliquo ab ægroto vel medente commiſſo, & regimine inprimis calido nimis adhibito, triſtis aut minus felicis in cura ſucceſſus memini.

Obs. XII.

Noſocomia in Indiis diverſi admodum generis reperiuntur.

SCHOLION.

Varia admodum ſunt, quæ de Indiæ & regionum vicinarum noſocomiis litterarum monumentis concepta leguntur. Præterquam enim quod brutorum quoque noſocomia illic offendi THEVENOTVS & MANDELSLO fidem faciunt, E. KÆMPFERVS in deſcribendis Perſarum xenodochiis multam poſuit operam, quibus tamen repetendis eo immorabimur minus, quod non tam noſodochia, quam hoſpitia vulgaria hoc nomine a Cl. Autore indigitari, conſtet, nec quæ de noſocomio turcico, arci ſanctiori (Serail) incluſo & ægrotis non tam veris quam putatitiis, & Bacho venerique inhiantibus, fruſtra nitente exquiſitiſſimo Imperatoris, ejusque miniſtrorum rigore refertiſſimis, lectu jucunda apud I. B. TAVERNIER occurrunt, cum ab Indis noſtroque ſcopo ſint remotiora, huc tranſcribemus; Quæ vero de Noſocomiis Batavorum in India, & Javæ metropoli Batavia ab eodem autore commemorantur, ſcopum noſtrum propius attingunt, præſertim cum ſatis abjecte de iisdem ſentiat, & viliorem ejus conditionem vivis depingat coloribus, quam eorum, qui curam ejus gerunt, avaritiæ & moroſitati acceptam refert. Quæ quidem omnia, paucas ſi exceperis circumſtantias, veriſſima deprehendi, neque, hic ſaltem cauſam inveni, cur fidem TAVERNIERIO, ut ab aliis factum eſſe, penes M. F. LOCHNERVM, & M. B. VALENTINI videre eſt, in dubium vocem. Sed & meliorem longe Bengalenſium conditionem noſocomiorum, quoad victum, & ini-

Itin. III. p. 21. 24. p. 32. l. c. p. 729.

Beſchreib. des Serails p. 13.

Hiſt. Ind. Belg. p. 113.

Mungos Animi et Rad. Ind. Litterat. p. 542.

ministeria ægris necessaria, expertus novi. De Goæ vero Nosocomio ægrorum commodis satis idoneo I. A. de MANDELSLO conferri meretur. *l. c. L. II. c. V.*

Obs. XIII.

Medicina in Indiis est empirica.

SCHOLION.

Scholis, litteris, & reliquis eruditionis subsidiis destituti Indi medendi præcepta ab antiquissimis temporibus à majoribus per traducem accepta in posteros iterum propagarunt, more pristinis temporibus solenni, quibus ars salutaris certis familiis quasi propria adhæsit, unde medicæ sacris artis initiati medicorum filii procul dubio hodieque appellantur. „Hi enim homines, quam exercent ar„tem non libera electionis voluntate, sed nascendi „sorte profitentur, quæ unicuique honores, servi„tutem & spartam denique, quam hac nascendi spar„ta exornet, necessitate plus quam stoica dispensat, „inde est, quod per continuos ætatum & generum „gradus ac successiones parentes liberis quasi de ma„nu in manum tradant, quæcunque ad artis illius, „quam nativitatis lex ab ultima temporum memoria „huic aut illi generi præscripsit, perfectionem requi„runtur," sicut hæc talia HENRICVS VAN REEDE TOT DRAKENSTEIN fusius persequitur. Illa vero rudis admodum, omnium est consensu, paucis herbis, simplicibus, decoctis, constans. Indorum enim Medicos plerosque egregios esse botanicos, tum ejusdem, tum *Horti Malabar. P. III præf.*

l. c. BONTII fide conſtat. Cauteriis autem & frictionibus
l. c. p. 12. ut indulgeant, phlebotomiam tamen abominantur, quam Indi cum Sinenſibus graviſſimum quondam errorem autumarunt, & jejunio potius, aliisque refrigerantibus, ſanguinem ad debitam temperiem reducere conantur, ajunt enim non ideo quod ferveat in olla, effundendum juſculum, ſed ſi compeſcere velis, ignem ſubducendum, ſicut inſigni empiriæ Indicæ documento ex MARTINI MARTINII Hiſtoria Sinica
Q.P. p. 763. SIMON PAVLI commemoravit. Horum vero ſimplicium ope auxiliorum morbos magna felicitate & brevi tempore, adjuvante ſine dubio cœli benignitate, & incolarum temperantia curari, & gentem inter Chinenſem, ut ſumme induſtrios œconomos, ita & artis uſu ſalutaris inclytos medicos reperiri; & eſſe illis libros antiquiſſimos de natura & virtutibus herbarum, arborum & lapidum, modernosque illius nationis medicos, non ſecus ac fecerint antiqui, ſcribere de prognoſticis, cauſis, effectibus morborum,
l. c. ex THEVENOTO in ACTIS PHILOSOPHICIS ANGLICANIS relatum exſtat. Quæ quidem licet inſignem ſapere videantur theoriam, paria tamen facere videtur cum
Schol. ad Obſ. VI. flatuum & vaporum pathologia, Arabibus, Brahmenis & Sinenſibus propria, ſupra laudata. Eundemque in cenſum venire videtur ſollicita illa, quin ſuperſtitionis & fallaciæ plena pulſum contrectandi ratio, Chinenſibus Indisque familiaris & plures inter
Spec. Med. Sinica. alios ab ANDREA inprimis CLEYERO ſingulari labore expoſita. Quam in rem egregiam Viri doctiſſimi D. G. MORHOFII ἐπίκρισιν plane in rem noſtram facientem

tem hic legere juvabit. Postquam enim Philosophiam Chinensium ad Pythagoricam de numeris, symbolis, characteribus, lineis, doctrinam pertinere, ostendit, ita pergit: „ Similia sunt illis pene & „ longe petita in re medica principia, ubi omnis a- „ natomes ignari suas tamen de venis observationes „ omni Medicorum choro inauditas tradunt; de „ pulsibus nescio quæ meteora comminiscuntur, „ quibus tamen mirifice illi, ut fama est, proficiunt. Nam & sedes & causas morbi solo pulsu explorant, ac feliciter nonnunquam pronunciant „ ac medentur, ut vel hinc pateat, de Medicis etiam „ verum esse, quod de vatibus nonnemo: omnium „ optime qui conjecerit, hunc vatem perhibeto o- „ ptimum. Andreas Cleyerus aliquis nuper mysteria hæc nobis revelavit, quæ ubi in lucem pro- „ tracta sunt, risum potius, quam applausum me- „ rentur, ac merito pudorem illis incutiunt, qui Eu- „ ropææ Medicinæ hujus perfectionem objicere „ non sunt veriti. Quantumvis vero plura empiriæ medicæ Chinensis exempla passim prostent, non postremum tamen videtur, quod ex MARTINIO iterum SIMON PAVLI citat, ejus rei sequens esse documentum: „ Artis chymicæ Professores & hic non „ rari ubique vagantur, non aurum modo polli- „ centes, sed & immortalitatem in hac vita, quo- „ rum pene idem, qui Europæorum scopus est, „ splendide mentiri scilicet, & nimium credulos a- „ varosque istis officiis fallere. Et immortalitatis in hac vita avidissime inhiantes esse Indiæ incolas, & ab

Pol. Phil. p. 14.

l. c.

ab impoſtoribus alchymiſtis frequentiſſime falli, tum I. A. DE MANDELSLO fidem facit, tum de Chinæ Imperatoribus, immortalitatis poculo moriendi neceſſitatem, licet fruſtra, effugere anniſis Cl. I. HÜBNERVS teſtis eſt.

l. c. p. 131. Hiſt. Frag. P. IX. p. 654 660. ſeq.

OBS. XIV.

Indorum medicinæ multum ineſt ſuperſtitionis.

SCHOLION.

Indos una cum Sinenſibus ideis, numeris, lineis, imaginibus, figuris, & miræ, quam in ſingulis fingunt, poteſtati multum tribuentes pythagoríζειν, tum ſupra ex parte tactum eſt, tum MORHOFIVS iterum demonſtrat, qui plures veterum Indorum circa ſcientiam naturalem (ex cujus fontibus medicina orta eſt) ſententias fuiſſe refert, ſed de illis adeo confuſa omnia, ut nihil quippiam diſtincti colligi inde poſſit, niſi etiam, quæ è quorundam auctorum laciniis colliguntur. Id tamen conſtare ex hodiernis itinerariis exiſtimat, aliquid Pythagoricæ doctrinæ ſimile illas habere. μετεμψύχωσιν enim ſtatuunt eamque ſibi habent perſuaſiſſimam, adeo ut nulla ferme inter illos ſecta ſit, ſunt autem plurimæ, quæ non pro principio eam ponat. Indos certe in curatione morborum, inque primis epilepſiæ, quem HIPPOCRATES, vel quisquis illius libelli, inter ſcripta ejus ſuperſtitis, vir GALENI judicio memorabilis autor fuerit, Sacrum appellat, quemque expiationibus & incantationibus

l. c. et p. 172.

L. d. Morbo Sacro.

tionibus curari affirmat, admodum esse superstitiosos, & amuletis non tantum, quibus verba minus nota inscripta sunt, collo primum apponendis, deinde in Gangem fluvium projiciendis, sed & verborum murmure pronunciatorum susurris multum tribuere, identidem deprehendi. Hanc autem medicinam amuletariam antiquissimam esse, & multis retro seculis à Sabæis Arabiæ incolis excultam, qui tilsemis & idolis magicis ad horoscopum fingendis maximam navabant operam, iisque ad sanandos morbos & consequenda alia bona magice utebantur ex Strabone, Agrippa, Gaffarello & Kirchero ADAMVS BRENDELIVS probatum ivit. Cujus quidem rei plura ne accumulem experimenta, virilis facit impotentia, non nisi fascino vel ligaturis, ut vocant debita, & non nisi ejusdem farinæ auxiliis auscultans. Vno certe plura mihi innotuere eorum exempla, qui virilitatis, quam in India amiserunt, repetendæ causa in eandem altera vice superatis itineris molestiis profecti sunt, cujus quidem rei, omnem, qua patet historiam, sub ligaturæ Magicæ Macassarorum sive Insulæ celebes incolarum elogio penes E. KÆMPFERVM non sine insigni animi voluptate legere licet. Huc vero an & ista sint referenda, quæ de Circassiis Medicis, ingentis libri ostentatione, & una cum cereæ accensione candelæ, ægrotantium pectori impositione morbos curantibus aut ægros fallentibus, & domestica animalia, capras, verveces, boves, vaccas sostri loco expectantibus, ut & de vetulis ructibus ori ægrorum immissis morbis medentibus à

d. Curat. morb. per Carm. & Cant. mus. X.

l.c. Fasc. III Obs. XVI.

Itin. L. III. p. 147. 1691. p. 145. I. B. TAVERNIERO ſatis luculenter ſunt enarrata, & à W. E. TENTZELIO dialogis menſtruis inſerta, in medio relinquo, & ad ea, quæ dicenda ſuperſunt, pergo.

OBS. XV.

Chirurgiæ & Chirurgicis auxiliis magnum ſtatuere pretium Indi ſolent.

SCHOLION.

Phlebotomiam ab Indis quondam & Sinenſibus repudiatam eſſe, ſupra vidimus; hodie vero tanta frequentia & felicitate eandem illic adminiſtrari novi, ut per luſum & jocum quaſi fragmentis vitri acutis in arterias venasq; mallei ope adactis ſanguinem notabili quantitate emiſſum viderim. Trepanationem vero absque terebræ adminiculo ſolius inſtrumenti lati & acuti, cuneo quaſi impulſi miniſterio in India exerceri, repetita edoctus ſum autopſia. Præ ceteris tamen, cauteriis, igne actuali inurendis magnum ſtatuunt pretium orientis populi. Præterquam enim, quod pertinacem quoque cephalalgiam cauterio actuali ſublatam noverim, lienis inprimis, hepatis, aliorumque viſcerum obſtructioni hoc præſidii genus proprie dicatum volunt. ENGELBERTO certe KÆMPFERO, quo poſt WILHELMVM TEN RHYNE nemo elegantius hoc expoſuit argumentum, autore Arabes, Brahmenes, Sinenſes, „ dolores & affectus „ quoscunque à flatibus, ut putant, ortos, aſſerunt „ nunquam tolli poſſe facilius, quam cauteriis, igne „ actuali inurendis. Igne vero an ferri cadentis? „ Equi-

d. Moxa. l. c. Faſc. III Obſ. XII.

„ Equidem junctam vulcani martisque vim experi-
„ ri in humana machina sævitiam reputant, uti su-
„ pervacaneam & inutilem, ita vero indignam ra-
„ tionali medico, cui urendo non alia debeat esse in-
„ tentio, quam ut impactam doloris materiam re-
„ solvat, vel in flatus jam resolutam excludat & in
„ auras evocet. Malunt igitur tarde gliscentem, re-
„ misse ustulantem, atque ut verbo dicam, ejus in-
„ dolis ignem adhibere, qui inclusam morbi cau-
„ sam mediante salis aperientis virtute lente tutoque
„ evocet, quam qui stringente acrodente armatus
„ vitriolo cutem carnemque crudeli impetu exedat.
Et facta Arabum mentione, quæque ab iis adhibe-
tur, urendi materia fusius explicata, „ Brahmenes, *l. c. p. 591.*
„ pergit, quos Græcia Gymnosophistas vocat, In-
„ dorum gentilium Sapientes, Theologi & Medici,
„ tum qui ex eorum institutis sapiunt, gentiles cete-
„ ri, non unius, sed varii generis cauteria pro mor-
„ borum diversitate parant. Latitantes enim cau-
„ sas, ajunt, & morbi cujusque indolem non unius
„ esse generis; proinde unam eandemque ignis ma-
„ teriam affectibus promiscue omnibus nequaquam
„ congruere, eligendam esse, quam genio morbi cu-
„ jusque aptam natam experientia docuerit. Va-
„ rietatem vero illam explorasse, peregrino mihi
„ datum non fuit. Clavum quis Herculi prius ex-
„ cusserit, quam à zelotypis istis doctoribus secre-
„ ta artium exploraverit. Et paucis interjectis:
„ Trans Gangem progrediens nobilissimum sane
„ omnium & usitatissimum ignis fomitem invenio

„ apud Sinenſes & Japonios. Hoc fomite referunt
„ ante ipſius medicinæ inventionem, & omnem a-
„ liam Chirurgiæ notitiam temporibus admodum
„ priſcis celebratam cauteriſationem fuiſſe, atque
„ uſum ejus per longam ſeculorum ſeriem ad ſe de-
„ mum dimanaſſe. Stupam hanc virtute ac vetu-
„ ſtate præſtantiſſimam ſub communi appellatione
„ Moxæ non modo Sina domeſticam habet, ſed
„ omnes Sinenſium literis & doctrina eruditæ nati-
„ ones, Japonii, Coræenſes, Quinamenſes, Luco-
„ nienſes, Formoſani, Coccincinenſes, Tunkinen-
„ ſes jam olim pro cauteriis ſub eodem nomine ad-
„ optarunt. Cujus porro hiſtoriam ibidem magno eruditionis apparatu, & luculentis experientiæ teſtimoniis ibidem traditam legere licet, qua cum WILHELMI TEN RHYNE, M. B. VALENTINI, I. N. PECHLINI, aliorumque de moxa labores conferri merentur. His ſi addas, quæ de Aegyptiorum Chirurgia PROSPER ALPINVS commentatus eſt, hos quidem venæ ſectioni, quin & Arteriotomiæ & Scarificationi plus, quam Indos indulgere, ſed quoad inuſtiones, & cauteria, quæ vocant actualia eorumque multiplicem variis in morbis, ut in epilepſia, paralyſi, apoplexia, vertigine, inflammatione oculorum, aurium, dentium, defluxionibus catarrhalibus, pectus occupantibus, hæmoptyſi, phtiſi, ſuppuratione & empyemate pectoris, aſthmate, flatulentia, induratione hepatis atque lienis, in hydrope ſub umbilico, & hypochondrio ſiniſtro, in doloribus dorſi, lumborum, colli, articulorumque, utilitatem, ut & quoad inurendi modum

d. moxa L. II. Obſ. XXIV.

de Med. Aegypt.

dum cum iisdem prorſus conſentire, idem Cl. Autor, & ex eodem A. O. GOELIKE fidem faciunt. *Hiſt. Chir. p. 11. ſeq.*

OBS. XVI.

Puerperæ & recens in India nati Chirurgiæ ſubſidiis impune carent.

SCHOLION.

Hæc tamen ut ſint, fœminæ ſaltem puerperæ in India nulla indigent embryulcia aut alia manuali operatione in partu difficili; uti plerisque cultioribus, ſicut vocantur, gentibus perſvaſum eſt, alias neceſſaria. Licet enim obſtetricibus non deſtituantur, pleræque tamen partum facilem cœli benignitate, & victus temperantia adjutæ experiuntur, infantes vero recens natos faſciis minime involvunt, ſed ſibi relictos brevi incedere, & quod maxime notatu dignum viſum, recta artuum textura gaudere, minimeque claudos & valgos deprehendi, cum in Hollandiam reverſus paucarum intervallo horarum in loco non adeo hominibus referto quadraginta fere claudicantes numerare licuerit. Hujus rei ratio nemini amplius mira videbitur, qui victum ſimplicisſimum & regimen ſimile eſſe optimum, & valetudini maxime conducere argumento non tam a brutis animantibus, quam vilioris conditionis hominibus, & ruſtica inprimis gente deſumto, quorum vix centeſimus quisque, imo ne milleſimus quidem morbo quodam organico aut ſontico, niſi ex cauſis plane fortuitis laborat, cum ditiorum, quin &

magnatum liberi quo majori ſollicitudine & cura educantur, eo pluribus & gravioribus vitiis expoſiti vivant; quam in rem egregiæ iterum Cl. Viri I. H. SCHVLZII meditationes de puerperarum, & recens natorum regimine commendari merentur. Faſciasautem, quibus teneri infantes involvi ſolent, licet non omni careant utilitate, ſi tamen nimis fuerint arctæ, aut inæquales, artus ultra modum conſtringendo, meatus coarctando, & ligamentorum fibrarumque vim oſcillatoriam refrænando noxias eſſe, indeque tenellorum diſtorſioni oſſium occaſionem dare, hæc vero omnia in ſollicita nimis & curioſa faſciarum applicatione vix evitari poſſe, conſtat.

de dieta puerp. d. vaſ. umbil. deligat.

Obs. XVII.

Medicamenta ex Indiis advecta uti variæ ſunt indolis, ita & diverſam merentur cenſuram.

SCHOLION.

Quod ſi ea, quæ ex India ſaltem orientali ad nos tranſportantur medicamentorum genera enumerare ſingula, & dignum cuivis pretium ſtatuere animus eſſet, paucarum quod ſupereſt, plagularum ſpatium ea minime caperet. Omnia fere aromata, in officinis & culinis uſitata, pleraque etiam aromatica ex Indiis originem agnoſcunt. Vnde & potiorem eorum partem calida, quæ vocantur, conſtituunt medicamenta. Sunt tamen & cathartica non una

ſen-

ſenna, tamarindi, præter lignum, & ſuccus aloe, mitioris omnia indolis. Sic et opium anodyna, & nitrum refrigerante ac temperante virtute præditum camphora, ſi quid aliud, calida & ſexcenta alia ibi deprehenduntur. Radices, cortices, gummata & reſinas, ut & alimenta & potulenta theam, coffee, ſacharum, oryzam magno cumulo ex Indiis allata ſicco, ut prætereamus pede. Hic vero ROSINI opportune recordor LENTILII, qui mercibus pharmaceuticis Amſtelodamo Stutgardiam allatis luſtrandis occupatus, alia inter ſequentem loquitur in modum:
„ oculos, nares, & linguam afficiebant ex Indiis al-
„ lata rariſſima & curioſiſſima. Qualia ſunt deſtil- *Et. Med.*
„ lata in Indiis olea cardamomi, cinamomi ex corti- *Pr. p. 865.*
„ ce & foliis, cubebarum, caryophyllorum, galan-
„ gæ, piperis nigri, zingiberis, ſaſſafras, culilavan,
„ ſantali citrini, terræ Indicæ. Hæc omnia olea
„ longe magis ætherea ſunt & penetrantia, quam
„ quæ ex aromatis apud nos demum deſtillantur:
oleum vero cajeputi arthritidi & febri dicatum viro optimo non æque cognitum in A. N. C. à D. SCHENDO 1727. *app.*
ad L. SCHRÖCKIVM una cum aliis quibusdam Indiæ rarioribus, ut & in ANNALIBVS VRATISLAVIENSIBVS 1723. *Nov.*
fuſius deſcriptum occurrit. Inter rariora vero ex *p. 568.*
Indiis allata ſpolia de Pedra Quadrata, aureis venis prædito lapide quadrato, quem in calculo partuq; difficili pulveris aut infuſi forma, nec ſine fructu adhiberi novi, ego Reſpondens tanto majori gloriari poſſum jure, quod à nemine ejus factam mentionem noverim, niſi quod Cl. M. F. LOCHNERVS ad L. SCHRÖ-

CKIVM,

ep. de Pareira Brava.

CKIVM, ſibi à D. D. VACKIO, Archiatro Cæſareo, virtutem ejus lithontripticam, quam in proprio corpore expertus erat, laudatam, ut & ex ephemeridibus venetis, Galleria di Minerva inſcriptis To. V. p. X. p. 271. meminerit. Locum vero ejus natalem, nuſpiam tactum novi eſſe napalam, tractum nempe montanum inter Chinam & Tartariæ fines ſitum, ex quo menſe cum primis Januario, quando locus iſte fumis igneis, quibus alias abundat, eſt vacuus, eruitur. Iſta vero, & ſi quæ ſunt alia exoticorum genera medicamentorum cum ab aliis nimiis extollantur encomiis, ab aliis alto contemnantur ſupercilio, nobis ingenioſa placet JO. BARCLAJI confeſſio, hisce concepta verbis: „ Permulta in ſolo noſtro nata negligimus, „ quæ ſi portentoſa ſervaret Aegyptus, aut Græcia „ miraculorum ferax, ſingula jamdudum luſtraſſe- „ mus, longinquorum nimis curioſi. De Malabaricæ regionis medicamentis HENRICVS VAN REEDE TOT DRAKENSTEIN ita exponit: „ Vivunt incolæ ad „ capularem fere ſenectutem, (vid. quæ ſupra de breviori earum vita ſunt commemorata,) eorumque va- „ letudini proſpiciunt. Indigenæ Medici, qui ex a- „ liis regionibus medicamenta non petunt, aut cer- „ te quam pauciſſima, illis ſolis, quæ ipſorum re- „ gio liberaliter ſuppeditat, contenti, quem morem „ Europæi libidem locorum feliciſſime imitantur: „ Belgæ vero, qui ſub auſpiciis Societatis orientalis „ Indiæ morantur, neſcio qua oſcitantia utuntur „ medicamentis, quæ primum ex illis locis petita „ per Perſiam Arabiamque in Europam deferuntur, „ &

Euph. Satyr. P. II. p. 311.

Hort. Malabar. P. III Praf.

„ & hinc denuo mari in Indiam referuntur, fere ob-
„ ſoleta & corrupta non ſine ſumma ſumtuum jactu-
„ ra, qui huic rei ſine ullo commodo impenduntur.
Hæc vero poſtrema verba veritate non niti, toties ex-
pertus, ſimulac in Indiam ventum eſt, remotis priſti-
nis, obſoletis, nova comparari, præparari, ægrisque
propinari, pace autoris affirmare non dubito.

Obs. XVIII.

Vt venena in India frequentia & valde dele-
teria occurrunt, ita non deſunt eximiæ
virtutis antidota.

SCHOLION.

Morſus animantium venenatos vix effugere in In-
diis queunt peregrini & indigenæ, cum in viis
publicis ſerpentes erecta cervice obvios quosque a-
doriantur, ſed & fugientes fugiant. Vegetabilia
vero toxica hic valde eſſe deleteria, ENGELBERTVS
iterum KÆMPFERVS notavit his, quæ ſequuntur ver-
bis: „ Aeſtuans inter tropicos ſolaris focus, ut ſalu-
„ tares rerum naturalium virtutes, ita & deleteriam
„ in venenis qualitatem magis intendit & acuit,
„ quam ſub zonis coeli magis algidi, " idque viverræ
mungo animantis, à quo uſum radicis mungos edo-
cti creduntur Javæ & Sumatræ incolæ, & veneni in-
primis macaſſarienſis uberiori deſcriptione, quam
non ſine voluptate legas licet, ſed & antidoti duplicis,
radicis nempe Mungos & lap. viperini expoſitione il-
lu-

l.c. Faſc. III Obſ. X.

lustratum dedit. Huic vero M.F. LOCHNERI opera, qua Mungos, animalculum & radicem descriptam dedit, M.B. VALENTINI Indiæ litteratæ inserta jungenda erit. Ejus efficaciam antidoti æque ac lapidis viperini, expertus novi virtutes alexipharmacas. Is autem extrinsecus vulnusculis venenatis admotus tenacissime adhæret, donec veneno ex vulnere attracto saturatus sponte decidat, lacte nigricante hinc reddito, abluendo, ut ex indigenarum ore locutus F. KÆMPFERVS fidem facit, qui exposito applicandi modo, Indis usitato ita pergit: „De efficacia hujus lapidis, & quæ „ indies cum ipso instituuntur in India experimen- „ tis multa dicenda inquirenda, dubitanda veni- „ rent. Quicquid sit, spondent efficaciæ veritatem „ quotquot ex Hindostanis de lapide quæsivi, & in- „ numeros inveni, tum qui experimenta ipsos se fe- „ cisse, tum qui facta suis oculis vidisse, mihi per „ jovem lapidem jurarunt, adeo ut inter Indos de „ viperini lapidis virtute contra serpentis Cabelo „ morsum dubitare execrabilis incredulitatis cri- „ men sit. Reliqua inter antidota Cocus di Maldiva, Nux medica Maldivensium dicta, in Insulis Maldiviensibus prope maris littora occurrens, & à Coco vulgari cibo potuique Indorum dicato multum diversa virtute non tantum antepileptica, adque partum facilitandum, sed & alexipharmaca insignis commemoranda venit.

p. 534.

OBS.

Obs. XIX.

Rei Indorum medicæ cum Sinica, Japonica, Persica, Aethiopica & Aegyptiaca plurimum analogiæ intercedit.

SCHOLION.

Gentes versus orientem aut meridiem sitas similibus fere, quibus Indi, affligi morborum generibus, & simili fere medendi ratione curari, supra jam passim, occasione varia animadversum est. Non possum tamen quin de una Japonia, quæ reliquarum vicem supplebit, hæc quæ sequuntur Cl. KÆMPFERI verba hic iterum legenda proponam: „ Medicæ artis quam (nostratis) Chirurgiæ gnariores sunt. „ Medicamentorum tamen farragine ægros non „ multum fatigant medici: qui morborum radicem, „ quam obstructionem vocant & doloris materiam „ (quam occlusos flatus ajunt) externa arte, puta „ acu, fumoque exterminant. Balneorum quoque „ usu domestico, quo indigenæ puritatem corpori „ quotidie conciliant, innumeros morbos vel citra „ intentionem profligant; contractos quoque contumaciores nostratium more ad thermas relegant, quibus sparsim regio scatet efficacissimis. Neque vero Indiam thermis plane destitui existimandum est, quorum decem ex ordine fontes virtute insigni præditas in regione, quæ zittecon pattna appellatur, numerare licet. In universum solis

in regionibus orientalibus & meridionalibus majori fervori, & victui vitæque rationi, quæ plerisque istis in locis una est, dicta modo analogia accepta ferenda erit.

Obs. XX.

Indiam inter utramque, orientalem & occidentalem seu Americam multa, si rem spectes naturalem & medicam, occurrunt, quæ sibi invicem respondent.

SCHOLION.

Aëris hic eadem utrobique in locis æquatori subjectis aut certe non longe ab eodem remotis conditio, perpetuum utrobique ver, vel & perpetuus autumnus, æquinoctium fere perpetuum, summa locorum fertilitas, & reliqui effectus salutares & noxii in humanum quoque corpus redundantes observare licet. Et si quod hic in locis præsertim magis ad orientem vel occidentem sitis deprehenditur discrimen, illud egregie doctissimus GVLIELMVS PISO, additis ubivis causis, notavit, verbis pone sequentibus:

Hist. Nat. Brasil. p.4.

„Tempora anni non nisi duo sunt, calidum & siccum
„ æstas dicitur: alterum quod calidum & humidum
„ ac veri Europæo simile brumæ vicem supplet. Id-
„ que verissimum omnibus in Indiis intra utrum-
„ que tropicum deprehenditur. Hiemis enim &
„ æstatis initium atque finis licet ob particularia in-
„ cidentia loci, tum & æquatoris majorem vel mi-

no-

„ norem vicinitatem, non in idem tempus incidant:
„ plerumque tamen annus ſex fere menſibus ad hu-
„ midum & totidem ad ſiccum vergentibus abſol-
„ vitur. Adeo ut vel hinc etiam veritas Strabonis
„ dicti confirmetur, nullum ſcilicet annum in Indiis
„ inveniri utroque tempore ſine pluviis. Et qui-
„ dem ea ratione ut hic non, ſicut in multis Africæ
„ & Aſiæ, ejusdem nobiscum latitudinis, oris, ma-
„ xima exinde intenſio & remiſſio æſtus, ſed nulla
„ vel exigua ſaltem percipiatur, (ſole licet Braſilien-
„ ſium Zenith menſe octobri & februario tranſeun-
„ te, radiosque ſecundum angulos acutiſſimos re-
„ flexis feriente terram.) Quæ diverſitas iſtarum
„ regionum incolis ob crebras malacias noxiosque
„ tepores interitum: harum contra ob dominatri-
„ cem auram ſalutem promittit perpetuam. Vnde
„ facile eſt colligere, anni tempeſtates eſſe non tam
„ immediate ex ſole & aſtris eorumque motu æſti-
„ mandas; quam ventorum ſpecie & diverſitate, re-
„ gionisque qualitate ac ſitu peculiari. Eadem cau-
„ ſa ſolennibus illis torridæ ſubſolanis vel favoniis
„ reddi poteſt. Quin in locis iſtis mediterraneis
„ paulo verſus occidentem noctes non ſolum, ſed &
„ dies aliquando ſunt frigidiores, quam in orientali-
„ bus littoralibus, usque adeo ut pruina aliquibus
„ quandoque capillos riguiſſe conſtet. Etenim in
„ Indiis cum multa ſint admiranda, illud tamen vel
„ inprimis videtur omnium phyſicorum ingenia
„ ſuperare, quod in eadem cœli plaga, ſolis acceſſu
„ & receſſu pari, iisdemque anni menſibus ab orien-

„ tali parte quidem circa oceanum æſtas & ſiccitas
„ ſit; ab occidentali vero trans juga montium & pa-
„ ludes Braſiliæ hiems, nebulæ & pluvia. Vt in
„ tanta locorum vicinitate, quod ad rationem tem-
„ peſtatum attinet, iidem pene populi ſibi mutuo
„ antipodes videantur eſſe. Parallelum fere exem-
„ plum ſupra de India orientali relatum occurrit.
Schol. ad Obſ. IV. „ Quam miram diſſonamque naturæ varietatem at-
„ que alia ejuscemodi, ſi quis diligentius apud ſe re-
„ putet, profecto intelliget, antiquos multa de æqui-
„ noctiali circulo & torrida zona falſo opinatos eſſe.
„ Cum contra quam Ariſtoteles & Plinius aliique
„ ſunt arbitrati, non ſolum habitabile hoc clima, ſed
„ & temperatum ac fertile utique reddant, tum ro-
„ res perpetui, tum pluviæ & jucundi à pelago fla-
„ tus, dum vapores mane ſurgentes, qui nebulas
„ tempeſtive diſcutiunt, æſtumque meridionalem
„ temperant, ac ſoles puriſſimos & nitidiſſimos red-
„ dunt. Ac ſicuti morbos Americæ endemios ſpa-
ſmos, catarrhos, hydropes, diarrhæas, dyſenterias,
l. c. L. II. inque primis luem Indicam ſeu venerem, commemorante PISONE, eosdem fere eſſe deprehendimus, quos in orientali India ſupra notavimus; ita & in medicis & medicamentis Americanis magnam cum orientalis auxiliis Indiæ deprehendimus convenientiam. Illa enim balſamis nativis, tolutano, peruviano, oleis, mellibus non unius generis abundat, herbarumque & radicum medicarum & ad tutandam valetudinem potentium ſerpentariæ virginianæ, contrayervæ, corticis chin. chinæ, Radicis chinæ, ſar-

ſa-

ſaparillæ, pareiræ bravæ, ligni guajaci & ſaſſafras, pluriumque aliorum ferax eſt. „India autem ori-
„ entalis atque occidentalis cum medicamentis o-
„ mnium generum & ad omnem curandi neceſſita-
„ tem inſtructior ſit, quam Medicis Rationalibus,
„ mirum eſſe nulli debet, quod hactenus tam multa
„ inſignium virtutum recondita in ſinu gerat, quæ
„ merito in lucem protrahantur, uti PISO iterum loquitur, cujus & hæc ſunt verba: „ Experientia, au- *l. c. p. 23.*
„ torumque teſtimoniis conſtat, omnes paſſim In-
„ diarum incolas medicinam facere, & morborum
„ notitiam ex ſymptomatibus venari, ac cauſis ne-
„ glectis communi quadam animi notione eruere
„ indicationes ex morbis, iisque ſatisfacere contra-
„ rium remedium opponendo. Et paucis interje-
ctis: „ Quantum vero ſeptentrionalium terrarum in-
„ colæ Indiarum aromatibus aliisve medicamentis
„ atque alimentis calefacientibus, ultra quam decet
„ ſunt dediti: tam e contrario Indi Aegyptiique ni-
„ mis ſunt proclives in vehementiora refrigeran-
„ tia, immemores aut ignorantes, ſi par fuerit utro-
„ bique error in exceſſu, hunc majorem vitæ no-
„ xam minari. Nec dubium eſt, de Braſilia aliisq;
„ Indiarum locis recte dici, quod de Græcia olim
„ Homerus: ſcilicet habere eam & ſuppeditare
„ φάρμακα πόλλα μεν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δε λυ-
„ γρὰ. Interim ſeniores & exercitatiores eximii
„ ſunt Botanici, facilique negotio omnis generis
„ medicamina ex herbis undiq; in ſilvis conquiſitis
„ conficiunt. Idem vero doctiſſimus autor de vita

Ame-

Americanorum longæva ſequentem loquitur in mo-
l. c. p. 12. dum: ,, Perquam mature pubeſcunt incolæ: ſene-
„ ſcunt tarde, idque ſine canitie aut calvitio. Quo fit,
„ quod longe ultra centeſimum ætatis annum viri-
„ di ſenecta, non Americani tantum, ſed & ipſi Eu-
„ ropæi fruantur totumque adeo territorium ma-
„ crobium dici mereatur. Longe ab his diverſa ſu-
pra de Indiæ incolis orientalis propria autopſia edo-
ctus commemoravi, cum quæ ſequuntur illis per o-
mnia congruant: „ Braſilianorum liberi vivaciſſi-
„ mi cum ventre duro ſint & prominulo, ſolidisque
„ toris, quamvis ſubucula tantum leviori induantur,
„ nihilominus injurias cœli ſecure contemnunt. Ri-
„ dent matres ineptam noſtratium in veſtiendis
„ & educandis parvulis induſtriam, qua perſpirati-
„ onem impediri & catarrhos multos generari
„ ajunt. Nulli inter illos ſtrabones, luſcioſi, claudi
„ gibbove deformati inveniuntur: cum tamen in-
„ fantes nunquam aut linteis involvantur, aut invo-
„ luti faſciis Europæorum more ligentur. Frigida
„ frequenter lavantur. Idem provectioribus uſita-
„ tiſſimum eſt: cum ob innatam genti munditiem,
„ tum ob firmandam & tuendam corporis ſanita-
„ tem.

Obs. XXI.

In Nautica, ſeu Claſſianorum & Navigantium Medicina poſt ſpicilegium meſſis ampla relicta eſt.

SCHO-

SCHOLION.

Indiam qui hodie utramque petunt, itinere maritimo eo plerumque tendunt & quidem satis diuturno & molesto, unde multi morbis correpti medicina indigent. Spicilegium hac in re fecerunt I. R. GLAVBERVS & W. COCKBVRN, sed spicilegium tantum. GLAVBERVS enim famem & sitim, ceu præcipuas navigantium molestias respiciens, utriq; medelam, fami ex frumento concentrato & in mellis formam redacto, siti vero ex salis spiritu singulari arte confecto parare contendit. COCKBVRNI vero libellum futuri tantum operis particulam esse, & nonnullas tantum de navigantium morbis observationes tradere, ex ERVDITORVM ACTIS discimus. In ea vero, quæ Cl. CHRISTIANI VATERI præsidio à M.P. ab ASPEREN Hafniensi ventilata prostat de Morbis Classiariorum & Navigantium, eorumque remediis dissertatione, tum horum causæ morborum ad liquidum perductæ, tum singulorum remedia indigitata sunt. Sunt autem ex tot causarum numero, in mortalium perniciem quasi conspirantium oriundi morbi, nausea inprimis, vomitus, omnis generis febres, scorbutus, variis stipatus symptomatibus, arthritis, oculorum vitia non una, contusiones, luxationes, fracturæ & sexcenta alia mala, aëris vel frigidioris, vel calidioris, aut impurioris & insectis scatentis, vel & victus culpa, & aquæ in-

d. Consol. Navig.
d. morb. Navig.
1697. p. 549
1698. p. 523.
Vitemb. 1715.

pri-

primis puræ dulcis & recentis defectu miseris navigantibus infesta, multis etiam funesta, adeo ut ex centenis navem in Hollandia ingressis vix unum atque alterum, ad caput usq; bonæ spei, famosum illud Africæ promontorium, nedum in Indiam salvum atque incolumem pervenisse, verissimaq; esse deprehenderim, quæ à nemine forsan sine horrore, ita ut a I. A. de MANDELSLO relata sunt, leguntur: sub linea nempe æquinoctiali degentes, & solis ardore quasi exustos, aqua pura sufficienti destitutos, marina falsa, & ut plerisque cum PISONE videtur, insectis repleta utentes, non scorbuto tantum, dysenteria, & febribus malignis corripi, iisdemque confectos fatis cedere, sed & non paucos furore abreptos, & per læsam imaginationem se Reges, Principes Dæmones existimantes, quin & anabaptistas & desperabundos se in mare præcipites dare. Hisce tot ac tantis malis medelam parare & undiquaq; conquirere operæ erit pretium. Hinc CHRISTIANVS Daniæ Rex seculi prioris anno quadragesimo commotus universo collegio Medico Hafniensi clementissime injunxit, ut in commune omnes cito & studiose deliberarent, quomodo tot morbi & inprimis febres periculosæ & contagiosæ, quæ in Holmia inter naucleros regios tum temporis maxime grassabantur, curari & præcaveri possint, ut T. BARTHOLINVS in Cista Medica fidem facit. Spiritum vini in regionibus putridis & in scorbuto, ubi sanguis ex nimis salso aëre & cibo acescit, ceu præstantissimum cum I. I. BECHERO commendant plerique auxilium, illum vero noxium atque ex illius usu

l.c. L. l. p. 2.

Locul. XLI p. 439.

Phys. Subterr. p. 368.

usu vel potius abusu scorbutum ferinum, icterum hydoprem aliaque mala contraxisse nautas, Medici observarunt Dani, ut est in ACTIS HAFNIENSIBVS fusius relatum. Quin & in frigidis regionibus nautas, quibus plenus victus & abundantia spiritus vini data fuere, omnes ad unum subitanea & præmatura morte sæpe extinctos esse, econtrario vero Anglos aliosque casu ibidem relictos, & sola aqua miserrimisque offulis è balenarum reliquiis situ & marcore corruptis paratis per novem menses & amplius vitam servasse, & integra sanitate ad suos rediisse, ex M. LISTERO C. VATERVS observat. Quare FRIDERICI DEKKERI consilium classiariis & navigantibus salutare & dignum visum est, quod labori præsenti colophonem imponat. Is enimvero artis usu præstantissimus quondam in Belgio Medicus præterquam quod theriacam sacram navigantium anchoram passim appellat, inprimis notandum judicat, nautis & qui per mare diu navigant, non tam spirituosa, volatilia, quam acida vel subacida convenire, imo inter medicamenta illis proficua oleum vitrioli omnibus palmam præripere, item poma citria, limona & similia. Hæc vero omnia navigantium ærumnis mitigandis neutiquam sufficere, sed sufficientem aquæ dulcis copiam una cum carnibus recentibus & similis farinæ leguminibus omnibus reliquis præsidiis longe anteferendam, horum vero omnium asservationem in navibus diuturno itinere vectis, possibilem esse, classes ex India reduces, & omni rerum ad vitam necessariarum apparatu sufficienti instru-

Vol. V. Obs. CXVIII.

l. c. p. 26.

Exerc. Pr. p. 579.

 ctæ,

ctæ, neque adeo morbis expositæ satis, opinor, evincunt. Hanc vero messem ulterius ingredi merito veremur, qui spicilegium non messem facere constituimus. Quare & spicas colligimus, & hoc quicquid est operis aliis majori ingenii felicitate judiciique acumine gaudentibus lubentes relinquimus.

S. D. G.

Co-

COROLLARIA.

I.

Diluvii universalis argumentum non postremum Historia suggerit Naturalis.

II. Notatu dignum est, herbas & vegetabilia quasi positive a D. O. M. ut comedantur, juberi, carnes autem aut prohiberi, aut quasi connivendo tantum concedi, vid. Gen. IX. 3. I. 29. 30.

III. Ex Ps. CIV. 15. frustra patrocinium suæ quærunt sententiæ Medici & Philosophi Pneumatici.

IV. Dari purgatorium, Theologi quoque orthodoxi adserere non dubitant.

V. Ex eo, quod numero idem non est hominis provectioris corpus ætatis, quod in juventute aut prima fuit infantia, frustra HENR. MORVS juxta Jobi XIX. 25. sq. adserere dubitat, idem numero corpus ex mortuis aliquando resurrecturum esse.

VI. Umbilicalium ligatura vasorum non adeo necessaria, hæmorrhagiæ saltem ex eadem intermissa metus frustraneus esse videtur.

VII. Vulnerum lethalitatem quando arctis adeo limitibus circumſcribunt Medici, non ideo de pœnis vel mitigandis vel augendis, quod JCtorum eſt, ſunt ſolliciti.

VIII. De partus ſemeſtris, ſeptimeſtris, octimeſtris, vel decimeſtris, & ultra vitalitate, vel idcirco judicium ferre accuratum & numeris omnibus abſolutum difficile eſt, quod conceptionis momentum & graviditatis initium plerumque lateat aut dubium ſit.

IX. Chin-chinæ uſus in febribus intermittentibus ſæpe noxius, interdum inſons & ſecurus, raro admodum neceſſarius eſt.

X. Rerum non naturalium appellatio apud Hippocratem & Galenum non occurrit, ſed ſequioris ævi partus eſt.

* * * * * * *

Wehrter Parmann / Deine Reisen
Sind zwar billig hoch zu preisen,
Doch sie sind es nicht allein.
Was du bey so viel Gefahren
In der Artzeney erfahren
Muß Dir rühm- und nützlich seyn.

* * * * * *

Zwar die Kunst steht alle Stunden,
Nicht an Zeit und Ort gebunden
Jedem offen und bereit.
Doch wer emsig sich bemühet,
Und in ferne Lande ziehet,
Der wird destomehr erfreut.

* * * * * *

Wer das güldne Vlies erlangen
Wer mit Lorbeer-Kräntzen prangen,
Wer mit Ernst ersteigen will
Helicons erhabne Spitzen,
Der muß öffters zittern, schwitzen,
Lauffen, ringen, halten still.

* * * * * *

Drum so folgt auf Dein Bemühen,
Auf Dein hin und wieder Ziehen
Nun auch der erwünschte Lohn.
Gebe GOTT, der Gaben Quelle,
Daß ohn alle Unglücks-Fälle,
Seine Gnade bey Dir wohn.

Also wünschet
Der PRAESES.

Der

*

Der strenge Cato ließ die Medicos vertreiben, a)
In dem berühmten Rom behielte keiner Sitz,
In gantz Italien ließ er nicht einen bleiben,
Der hoch-erfahren war, nach weiser Griechen Witz.
O allzu strenger Schluß! weit klüger ist geschrieben
Von dem, der weiser ist, als jener Römer war,
Des Syrachs weiser Mund, der lehret, daß zu lieben, b)
Und hoch zu ehren sey ein Artzt, der in der Schaar
Der wahren Kenner steht, die Gott von Hertzen ehren,
Die bey der Artzeney erkennen Gottes Krafft,
Die lernen emsiglich, wie sie nur mögen lehren
Des Höchsten Wunderwerck, und was die Allmacht schafft.
Er kan, mein werther Freund / von vielen Wundern sagen,
Die auf dem weiten Meer gar wunderbarlich sind,
Die uns an diesem Ort unmüglich zu erfragen,
Wobey der Klügeste doch immerdar ein Kind.
Er will hinführo auch aus den Geschöpffen lesen,
Ja wie die Erde voll der Güte Gottes sey,
Das kleineste Geschöpff beweiset Gottes Wesen,
Des Höchsten Wunderwerck ist selbst die Artzeney.
Was kan demnach sein Fleiß begieriger erwehlen,
Als, daß Er ferner hin nach solcher Weisheit steht,
Die

a) Polydorus Vergilius de rerum inventoribus lib. I. cap. XX.
b) Syrach XXXVIII. v. I. & seqq.

Die ihren Freunden nie die Ehre lässet fehlen,
Womit Er hoch-berühmt nun ausgeschmücket geht.
GOtt segne Seinen Fleiß! Er segne Sein Curiren!
Es steh der beste Artzt Ihm ferner kräfftig bey!
GOtt wolle Gnaden-reich Ihn treulich also führen,
Daß Er in dieser Welt, und dort gesegnet sey!

Hiemit hat dem HochEdlen und HochErfahrnen Herrn Parmann, als Seinem liebwehrtem Beicht-Sohn zu der Doctor-Würde so willig, als schuldig gratuliren wollen,

Ludowig Schumacher/
Minist. Hamel. Senior.

Erlaube wehrter Freund / daß ich nach meiner Pflicht,
Da du heut Doctor wirst, Dir schlechte Wünsche bringe,
Und Deinen Ehren-Tag aus Hertzens-Grund besinge;
Verschmähe dieses Blat von Deinem Diener nicht.
Es schenckt Apollo Dir den längst verdienten Lohn,
Weil Du von Jugend auf der Tugend echtes Wesen
Und edle Wissenschafft zu lieben auserlesen;
Gebührt die Ehre Dir gleich einem Musen Sohn:
Du hast die Medicin mit sonderbahrem Fleiß
Gelernet und geübt in mehr als funfzehn Jahren,
Was Krancken heylsahm ist geprüfet und erfahren,
Wie diß Ost-Indien annoch zu rühmen weiß.

Nun

Nun soll Europa auch von der Geschicklichkeit,
Die GOtt Dir beygelegt nach Wunsche profitiren;
Du wilt in selbigem was kranck und schwach curiren:
Obs gleich zu wieder ist dem höchst-erbosten Neid.
Der Höchste stehe Dir in Deinem Vorsatz bey,
Er lasse Freuden-Oel auf Deine Scheitel rinnen,
Er cröne Deine Cur, Dein Lassen und Beginnen,
Damit was kränklich ist von Schwachheit künfftig frey.
So manniges Recept von Dir geschrieben ist;
So manger Raht annoch Gebrechliche erquicket:
So manger Seegen sey von Gott Dir zugeschicket,
Da Du, mein wehrter Freund! nunmehro Doctor bist.
Wird dann was elend ist nächst Gott durch Dich gesund,
Und darff für grosser Pein hinkünfftig nicht mehr klagen,
So wird die gantze Welt von deinen Curen sagen:
Der Himmel gebe es! Dis wünschet Hertz und Mund

Ihro HochEdl. des Herrn Doctoris Paxmanns
ergebensten Dieners und Vettern,

Just Heinrich Leo/

Der Hämelschen Schulen p. t. Conrectoris.